

Inò etiam in articulo mortis nullus absolvere potest, nisi Violatores prius cautionem præsentent, quòd satisfacti, seu restitutionem facere, & mandatis Ecclesie parere volent, & snilla ulterius non facere serió pronouerint. Ita clarè statuitur in citata Bulla Coenæ §. 21. ibi :

§. 21. Ceterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiã in tunc nisi de stando Ecclesie mandatis, & satisfaciendo cautione præsentibus, absolvi possit, etiam præteritum quorumpvis facultatum, & indulgentiarum quibuscunque personis Ecclesiasticis secularibus, & quorumpvis Ordinum Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopalis, vel alia majori dignitate præditi, ipsius Ordinis, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Dominicis, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliã mundanã excellentiã subgeantibus, per Nos, & dictam Sedem ac eiusdem Concilii decreta, verò, literis, aut aliã quacunque scripturã in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovatorum.

Notandum tamen, eum, qui cautionem facere non potest, absolvi posse, dummodò firmiter proponat, ac promittat, quòd Ecclesie mandatis stare, ac pro viribus satisfacere & restituere velit.

292 Resp. II. Omnis Absolutio per alium, quàm Romanum Pontificem, extra mortis articulum, vel etiam in illo, sed non iuxta tenorem præfatum facta, non tantum est nulla, sed etiam graviter peccaninosa, ac insuper Abolventem Excommunicationi subijcit. Ita expr. sèd Bulla Coenæ.

§. 22. Quid si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicuius absolutiois beneficium impendere præsumserint, eas excommunicationis sententiã innotamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

293 Rel. III. Nulla absolutio etiam per Romanum Pontificem facta, violatoribus Immunitatis suffragatur, Nisi prius à præmissis, cum vero proposito ulteriori similia non committendi desisterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fuerint, nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archivis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiantur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutioem, aut quoscunque alios aclus contrarios, tacitos, vel expressos, ac si iam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. K. E. undecunque, & quoadcunque acquisitis, vel querendis nullatenus præjudicare posse, ac debere. Ita Bulla Coenæ §. 23.

294 Queritur III. Quid Juris de Principum, & Dominorum secularium Statutis, Ordinationibus, Constitutionibus pragmaticis. Decretis contra Immunitatem Ecclesiasticam factis? Resp. I. Omnia hujusmodi statuta, constitutiones, seu decreta esse nulla & irrita, facientes verò eadem, violatores Immunitatis existerent Excommunicationi ipso facto subijcere, juxta §. 15. Bullæ Coenæ, quem habes num. 283. à qua absolvi non possunt, imò et si absolvantur, absolutio non valet, Nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas & de-

creta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archivis, seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiantur, deleri, & cassari, ac Papam de revocatione hujusmodi certiores fecerint: uti expressè statuitur in Bulla Coenæ cit. §. 23. num. 293. allegato.

Resp. II. Præter gravissimam Excommunicationis poenam, etiam Deus gravissimas & universales infligit poenas, ob Leges & Statuta in aliqua Provincia contra Immunitatem Ecclesiasticam factas, prout notant Doctores communiter, & misera docet experientia. Placet hic efferte, quod habet Diana p. 5. tr. 1. Resolut. 24. §. Et tandem docet & valde notandum est à Judicibus laicis Vellem, inquit, unum ab ipsis considerari, videlicet calamitatis, bella, famis, pestilentias, & alia id generis in Regnis evenire ex statutis contra libertatem Ecclesiasticam. Nihil hujusce veritatis sit Basilis Imperator Nicephori Phocæ successor, qui contra ejusdem Nicephori statum in hæc verba sancivit. Divinitus constituta, Majestas nostra, cum est à Monachis, quorum testata pietas atque virtus est, & ab aliis multis cognoverit legem à Domino Nicephoro, qui ad Imperium pervenit, de Ecclesiis Dei, Religiosisque locis, tum presentium malorum, tum universalis hujus exorsionis, atque confusionis causam & radicem exiisse. Nam ex quo lex illa robur habuit, n. h. h. boni penitus in hodie: num usque diem vite nostra cont. g. t. sed potius contrario nullum omnino genus calamitatis inermis, statuit per auream hanc Bullam, cui subscripsit, indicatam ab hoc presenti die cessare debere, ac desinere irritam, nullius momenti manere, conditis ante illam legibus, tam de Ecclesiis, quàm de Religiosis domibus, vim roburque suum obtinentibus. Hactenus Basilis Imperator, ut patet apud Bethanionem in Nomocanone Phocæ, & Leunclavium Tom. 1. lib. 2. Jur. O. ient.

Nec desinam hic apponere id quod notat Illustrissimus, & Doctissimus Archi-Episcopus Bracharensis Acunha in Decret. Gratiani, cap. si gens Anglorum. 10. dist. 56. Barbosa in e. c. 2. h. t. num. 200. Franciscus Longus in Breviar. Chronol. anno Domini 704. Cboker in Indicibus libert. Eccles. p. 1. cap. 33. num. 23. & ante illos Cardinalis Baronius anno Christi 701. nempe, olim Deum florentissimum Regnum Hispaniæ Mahometanis & Mauris tradidisse, non quia in fide (semper enim Hispani fideles) sed quia in jurisdictione à S. Sede Apostolica defecerant. Unde intelligant Principes (subdit Baronius) quàm male sibi, fuisseque Regnis consulant, qui Ecclesiæ jura tollere, vel immuere conantur, quod ipsum repetit rursus aliis in locis anno 1100. num. 34. item 1104. num. 14. & 1158. num. 47. ubi ostendit Principes opprimendo Ecclesiasticam jurisdictionem, Regnorum suorum interitum & amissionem accreticere.

Igitur Principum Consilarii, si desiderant Regna stabilire, & ab eis calamitates arcerè, consulant Regibus, ut imitentur Basilium, nihilque contra libertatem Ecclesiasticam constituent, sed si quæ constituta sunt, abrogent omnino, & in conflictu opinionum illam sequantur, quæ magis favet Ecclesiæ.

Quid Juris autem de Statutis, & Legibus Laicorum quoad Clericos, vide Lib. 1. Tit. 2. §. 13. & 14.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Negotium seculare quid? & quotuplex? Est Clericis prohibitum.
- 3 Clerici non possunt esse Ministri, aut Officiales Laicorum.
- 4 Limitatur hoc in aliquibus causis.
- 5 Clerici non possunt exercere Officium Tabellionis seu Notarii publici. Et num. 7.
- 6 Nisi in causis Fidei, aut in Curia Romana; aut ubi est consuetudo.
- 7 Jus Civile, aut Medicinam audire, quomodo prohibentur Clerici? Et num. seq.
- 8 Possunt docere Jus Civile, ac Medicinam.
- 9 Clerici non possunt negotiari lucri causa.
- 10 Nec exercere, vel agere causas, aut Judicium sanguinis; quinam aclus per hoc censetur prohibiti?
- 11 Consilium dare in causa sanguinis, an, & quomodo prohibentur Clerici?
- 12 Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, & debent causas sanguinis Laico delegare: idque generaliter, non specialiter.
- 13 Clerici non possunt preponi Raptuariis, aut aliis viris sanguinum: nec esse belli Duces, bene tamen possunt interesse bello, & milites in eo honorari ad pugnandum.
- 14 Clerici non possunt exercere artem Medicinæ, aut Chirurgiæ.
- 15 Enarrantur pane exercentium aliquid ex recensitis negotiis secularibus. Usque ad finem.

Postquam in præcedentibus dictum est, quid Clericis vel Monachis, eorumque statui competit; rectè subjungitur, quæ eisdem sint prohibita, statum que eorum dedecent, secularia nempe Negotia, utpote quæ mentem à Divinis abstrahunt, contemplationem impediunt, spiritum devotionis extinguunt, curisque & sollicitudinibus variis inricant &c. ut proin e. 1. h. t. ad finem, ex Apostolo 2. Ad Timoth. 2. bene dicitur: Nemo militans Deo, implicatus se negotiis secularibus, & l. Placet. 17. c. de Episc. & Cleric. Nihil commune Clericis cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, ejus corpori non sunt annexi, habeant. Ceterum Titulus hic ultimus Libri III. multum convenit cum Titulo I. ejusdem, utpote ubi etiam plura Clericis prohibita, eorumque vitam & statum decencia habentur: hinc illis suppositis, ea tantum hic recensebimus, quæ ibi desiderantur.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit Negotium seculare Clericis prohibitum? Ante responsum notandum cum Abbate ad Rubr. h. t. quid, quid ex carnali, mundanã, ac inordinatã concupiscentiã, aut corruptelã non subjectã freno rationis agitur, dum nempe inordinatè carnaliter & seculariter, id est, secundum seculum, mundum, & carnem, & non secundum Deum, & rationem vivitur, contra monitum Apostoli ad Rom. 12. Nolite conformari huic seculo. Secundo seu strictè sumptum Negotium seculare est, & dicitur quævis actio, aut officium, quod pertinet ad Re-publicam secularem, competitque hominibus, seu Laicis, non item Clericis: de quibus Negotiis loquitur D. Paulus supra, & cit. l. Placet. Resp. Quamvis

Negotia secularia in hoc utroque sensu sumpta, prohibentur Clericis h. t. tamen specialiter, ac præcipue secundo modo seu strictè sumpta. Ita communis. Patet ex toto h. t. licet enim c. 1. h. t. multa etiam Negotia secularia largè accepta Clericis prohibita enarrentur, tamen quia etiam Laici sunt prohibita, utpote ex se illicita, idè in subsequentibus Capitulis potissimum prohibita Negotia secularia strictè talia enarrantur, quæ Laici licita, Clericis tamen illicita sunt, utpote qui se secularibus etiam licitis Negotiis implicare non debent; quia Duo sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, ac orationi ab omni sive tempore cessare convenit, ut sunt Clerici, & Deo devoti, id est, conversi. can. Duo sunt. 7. cau. 12. q. 1. Concordant Canones ferme omnes, dist. 88.

Porro quamvis multa sint secularia Negotia, uti dicitur, c. 1. h. t. imò plura sint negotia quàm vocabula, prout ait Ulpianus L. Natura enim. 4. ff. de Præscript. Verb. ut proin omnia specificare in possibile videatur: Nihilominus aliqua hujusmodi secularia Negotia Clericis specialiter prohibita afferemus.

Queritur itaque II. Quænam Negotia secularia in specie Clericis, & Monachis sint prohibita? Resp. Ea esse plura. Patet inductione. Nam l. c. 2. h. t. Clericis universaliter est prohibitum, ne Ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum Procuratores existant: quod intellige, five in domo ipsius Laici, five extra illam eidem serviant, aut negotium peragant. Barbosa in e. c. 2. h. t. num. 2. etiam si Laicus sit Princeps, aut alius magnus Dominus, c. Sed nec. 4. h. t. ibi: Sed nec procuraciones villarum, aut jurisdictiones etiam seculares sub aliquibus Principibus, & secularibus viris, ut Justitiariorum eorum fiat, Clericorum quispian exercere presumat. Unde nec Principum Vicerregentes, Vicedomini, Cancellarii, locorum Præfati aut Præpositi, Administratores &c. vel aliã ratione Officialiales esse queunt, per Jura citata, & Clericis. 5. h. t. ibi: Inhibemus, ne quis Sacerdotum officium habeat Viccomitis, aut Præpositi secularis. Concordat c. Clerici. 15. de Vita & honest. Cleric. ibi: Clerici officia secularia non exercent. & can. fin. dist. 86.

Limitatur tamen num. præced. doctrina in casu, quo Laicus habet cautam, aut negotium Ecclesiasticum coram Judice Ecclesiastico; coram hoc enim Laici causam agere, & negotiari; aut procurator ejusdem esse Clericus potest. Abbas in c. 2. h. t. num. 2. & 3. Pirhing eod. 17. Ratio est; quia hoc nullibi invenitur prohibitum, cum tantum secularia, non item Ecclesiastica Negotia prohibentur in citatis Juribus. Item possunt Clerici, ac Religiosi etiam coram Judice laico ex charitate assumere negotium, & agere causas seculares pauperum, ac miserabilium personarum, præsertim orphanorum, & viduarum, arg. c. fin. dist. 86. Imò, si non ex cupiditate, sed ex charitate, & amicitia facit, potest Clericus etiam unã, vel alterã vice, non item ordinariè assumere Negotium seculare Laici non pauperis, ejusve esse Procurator. Abbas lo. cit. cum aliis, eò quòd Jura, dum prohibent Clericis Negotia secularia, intelligenda sint generaliter. Possunt insuper præfata Laicorum assumere & tractare negotia, quando redundat in commodum Ecclesiarum, aut Monasterii, Abbas lo. cit. Engel. h. t. n. 4.

II. Specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, seu Notarii publici agere, c. Sicut te. 8. h. t. ibi: Fraternaliter tue mandamus, quatenus Clericis in sacris Ordinibus constitutis Tabellionatũ officium interdicos: concordat c. ut Officium. 11. §. Verum

de Heretic. in 6. Ratio varia asseritur à Doctoribus, inter quas est, quòd Tabellionis seu Notarii publici officium est vile, Anchoranus in cit. c. 8. h. 1. & ibi Fagnanus num. 17. & alii. cum Tabellio vocetur servus publicus. c. 2. de Usur. in 6. & ibi Glossa s. Servo publica, & l. Non aliter. ff. de Adopt. quod propterea prohibetur Decurionibus l. Univerfos. C. de Decurionibus ergo multò magis Dei milibus. Notant tamen Doctores communiter, quòd Tabellio seu Notarius publicus ante Clericatum factus, officium hoc per susceptionem Clericatus non perdat. Item quòd Instrumenta publica à Clerico Tabellione seu Notario confecta subsistant, sive ante, sive post Clericatum susceperit hoc officium. Hostiensis in Summa. Engel h. t. num. 4. Joan. Andreas in cit. c. Sicut te. h. t. num. 1. atque diximus, & probavimus suprà Lib. 2. Tit. 22. numer. 264.

6 Limitatur tamen hæc secunda prohibitio, & asseritur Primò, tam Regulares, quàm seculares Clericos posse esse Notarios, aut Tabelliones in causis Fidei pro favore ejusdem, c. Ut officium 11. §. ad conferendas. de Heretic. in 6. & ibi Doctores communiter. Secundo possunt esse Clerici Notarii Papæ, ac in Curia Romana. Fagnanus in cit. c. Sicut te. h. t. num. 60. & ibi Barbosa num. 7. Nam Papa admittendo, vel officium hoc tribuendo Clericis, videtur eos habitare ad illud exercendum, arg. Idem Ulpianus. ff. de Excusat. Tutor. Tertio possunt Clerici esse Notarii ibi, ubi est consuetudo. Barbosa lo. cit. n. 9. Laynan lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 4. Ratio est; quia solà Lege humana prohibitum est Clericis officium Tabellionis; ergo consuetudine id peragere possunt, arg. c. fin. de Consuetud.

7 Limitant aliqui, & dicunt Clericum saltem pauperem & Beneficium competens non habentem posse esse Tabellionem in causis Ecclesiasticis, & coram Judice Ecclesiastico. Barbosa lo. cit. numer. 10. Abbas in idem c. Sicut te. h. t. numer. 6. & alii. Verùm Glossa fin. in cit. c. Sicut te. h. t. ibidem Fagnanus cum communiori aliorum id negant. Tum quia in c. Sicut te. h. t. indistinctè ac generaliter prohibetur Clericis in Sacris existentibus officium Tabellionis; ergo indistinctè venit intelligendum, arg. c. quia circa. de Privileg. Tum quia sola excipitur causa Fidei c. Ut officium. de Heretic. atqui exceptio unius firmat regulam in contrarium per vulgaria; ergo. Hinc observat Fagnanus lo. cit. quòd plerique in locis Episcopi pro suis Cancellariis, Actuariis, & Tabellionibus adhibeant Laicos: quoniam alibi etiam adhibeantur Clerici, quod saltem vi consuetudinis fieri potest, juxta dicta numer. præced.

8 III. Prohibitum est Clericis & Religiosis publicè seu in Scholis, vel Universitatibus publicis Jus Civile, & Physicam, id est, Medicinam audire, c. Non magnopere. 3. & c. fin. h. t. tum, ne occasione talis scientiæ, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur, & SS. Canonum magis frequentetur, atque dilatato sui tentorii loco funiculos suos faciat longiores, ut si Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili telorum, quibus resisteret valeat ascendentes ex adverso, ut dicitur c. fin. h. t.

9 Dicitur autem notanter publicè; quia privatim, ac domi in camera sua non prohibentur Religiosi, aut Clerici studere Juri Civili, ut habet communior Doctorum, teste Fagnano in c. fin. h. t. num. 42. & observat etiam Barbosa ibid. num. 3. & alii, præsertim si id faciant pro pleniori intellectu Juris Canonici, ac Theologiæ. Tum quia juxta illud vulgare: Legista sine Canone valet parum,

Canonista sine Lege nihil. Tum quia sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur, c. 1. de Novi operis num. Tum quia Civilis scientia est pars Divinæ, unde Leges dicuntur sacrosissimæ, L. 1. ff. de Variis, & extraordi. Cognit. Imò ob has & similes rationes voluit aliqui, quòd Clerici, ac Religiosi etiam publicè in Universitatibus extra Monasterium audire possint Jus Civile, Barbosa in c. fin. h. t. n. 7. citans alios. Verùm contraria opinio de Jure verior est, arg. cit. c. 3. h. t. ubi expresse prohibetur, ne Religiosi extra claustra Leges Civiles audiant: nec juvat, si dicas, prohibitionem intelligendam esse, ne principaliter, non item ne secundariò ad Ecclesiastica magis intelligenda id fiat; quia hic ipse prætextus expressè etiam reprobat in cit. c. 3. eod. ibi ad Ecclesiastica negotia fidelitè pertractanda. Hinc nisi alicubi in Universitate habetur contraria consuetudo, vel privilegium speciale Apostolicum (quorum alterutrum passim habetur) Religiosi & alii Clerici Jus Civile publicè audire non valent, uti cum aliis bene observat Fagnanus lo. cit.

10 Illud probabilis est, Religiosis & Clericis sæcularibus non esse prohibitum Jus Civile, ac Medicinam publicè, aut privatim dicere, aut legere. Barbosa lo. cit. num. 7. Abbas in c. fin. h. t. n. 16. Pirhing eod. num. 37. Navarrus in Manual. cap. 27. n. 176. contra Hostiensium, Joam. Andream, Sylvestrum, & alios; quia jura c. 3. & fin. h. t. tantum loquantur de audientibus; ergo ad docentes aut legentes non sunt extendenda, utpote odiosa, c. In panis, & c. Odis. de Reg. Jur. in 6.

IV. Specialiter prohibetur Clericis negotiationem lucri causâ exercere, c. 6. h. t. ibi: Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici lucri causâ negotientur; quenam autem sub tali negotiatione comprehendantur, & quæ non, vide suprà Tit. 1. §. 5. à n. 126.

V. Specialiter prohibetur Clericis, ne Judicium sanguinis exerceant, aut sententiam sanguinis dicant, proferant, vel executioni sententiæ interfint, & ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, ut aperte constat ex Summariis, & textibus c. Clericis. 5. & c. Sententiam. 9. h. t. dicitur namque cit. c. 5. h. t. Clericis in sacris Ordinibus constitutis &c. Judicium sanguinis agitare non licet. Unde ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicem infrendant, & c. 9. eod. Sententiam sanguinis nullus Clericorum dicat, aut proferat: Sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interfint. Nec quisquam Clericus litteras dicat, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. Concordat can. Sepè. 29. & can. His à quibus 30. cau. 23. q. 8. & c. Ex litteris. 10. de Excessib. Prælat. ubi Episcopus ex eo, quòd malefactorem in specie occidi consulerit, suspensioni corporaliter interfuert, indignus Altaris ministerio fuit judicatus. Ex quibus Juribus Glossam in cit. c. Clericis 5. Aus jactent, & in c. Sententiam 9. Sanguinis. h. t. & in c. Ex litteris. de Excessib. Prælat. 7. Corporalem. Abbas in c. Sententiam. h. t. n. 2. 3. & 11. ac alii communiter inferunt, quòd Clericus sententiam sanguinis nec dicere, nec scribere, nec ad dandam auxilium, aut consilium præbere, nec executioni sententiæ corporaliter interesse valeat. Ratio est; quia indecens est, ut illi, qui Christi lenitatem ac mansuetudinem specialiter, ac vi statuti sui exprimere tenentur, sanguinem alienum fundant, aut ad id quoquo modo concurrant, arg. cit. can. Sepè & can. His à quibus cau. 23. q. 8. aut sanguinis effusioni corporaliter interfint, cit. c. 9. h. t. & c. Ex litteris. de Excessib. Prælat.

13 Circa consilium tamen, notandum cum Glossa in c. Ex litteris. de Excessib. Prælat. 7. Consilium, quòd licet Clerici etiam interrogati non possint dare consilium, ut quis in specie occidatur, est secundum Jura rectè consulant; possint tamen interrogati in genere respondere dicendo: Justa Jura, vel Doctores Jures sunt suspendendi: incestuosi cremandi: vel potest Clericus interroganti exhibere Jura & Doctores, ut ipse videat, quid iuris arg. can. Pessimam. 32. cau. 24. q. 8. quod idem docet Barbosa in cit. c. Ex litteris. de Excessib. Prælat. num. 5. Molina Tom. 4. tr. 3. Disp. 74. num. 5. & alii communiter.

14 Hinc etiam Episcopus, seu quicumque alius Prælatum, vel Clericum juris Civionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commissio Ballatio suo (seu Judici) aut alii cuiquam injungat, ut super hoc veritatem inquirens, justitè debitum exequatur, irregularis censeri non debet (nec male agere) quamvis ipse Ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, Justitià mediantè. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent, & possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare, ut in terminali statuit c. 7. h. t. in 6.

Potest itaque in tali casu Episcopus, vel alius Clericus jurisdictionem temporalem obtinens, alicui alteri causam quamvis sanguinis delegare, ac mandando dicere, examina causam, factaque, & judicæ, quod Justitiæ, seu Jura præscribant. Non autem potest dicere: mando, vel volo, ut hic malefactor occidatur, est iuxta Jura mortem promerita sit. Imò consilium Glossa communiter recepta in cit. c. 3. h. t. in 6. 7. Episcopus, ut non specialiter, sed generaliter deleget Laico causas sanguinis, constituendo eundem Judicem sanguinis (Germanus Bann-Richter). Porro de corporaliter interessentibus quoque specialiter advertendum, quòd infra num. 21. dicitur.

15 VI. Prohibetur, ne Clericus Roptuarius (id est is, qui prælunt machinis bellicis, quibus rumpuntur muri, ut notat Joan. Andreas in c. 9. h. t. num. 7.) vel ballivarius, sive sagittarius, aut aliis hujusmodi viris sanguinum præparatur, cit. c. Sententiam. h. t. Uade non possunt constitui Duces, vel Capitanei militum in bello, uti bene advertit Abbas in cit. c. 9. h. t. Quamvis enim Clerici possint interesse bello jasso, ac milites ad pugnam hortari, can. Ut priorem 17. cau. 23. q. 8. tamen non possunt esse belli Duces ordinantes aciem, ac dirigentes tormenta bellica &c. per Jura citata. Abbas lo. cit.

16 VII. Prohibetur, ne Chirurgia artem Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos exerceant, que adfectionem, vel inestimationem inducit, cit. c. Sententiam. 9. h. t. & ibi Doctores omnes. Quod etiam specialiter prohibetur Religiosis, c. Tua nos. 19. de Homicidio. Ratio est: tum periculum erroris, quòd tali Chirurgiæ insect. ac dubius curationis eventus, c. Aures. 7. de Aetat. & qualitate. Tum quia Chirurgia est officium sæculare: ob quam ultimam rationem notat Abbas in cit. c. Sententiam. 9. h. t. num. 21. & 22. Chirurgiam, sicut & artem Medicinæ exercere, esse absolute prohibiti Clericis, est citra adulationem, ac incisionem illam exerceant, arg. c. 1. h. t. Quod etiam clarè desumitur ex cit. c. Ad aures. de Aetat. & qualitate. ac c. Tua nos. 19. de Homicid. ubi Chirurgiam etiam causâ pietatis & charitatis exercere prohibitum narratur. Et de arte Medi-

cine ratio ulterior est; quia prohibetur Clericis illius studium, ergò multo magis ejus exercitium. Abbas lo. cit. arg. c. Cum quid de R. J. in 6. & ibi Joan. Andreas, Sanchez lib. Moral. cap. 14. numer. 15. & seqq. Verum tamen Sanchez lo. cit. quem sequitur Pirhing. h. t. num. 17. docet Barbosa in c. Tua nos. de Homicid. Molina, Bonacina, & alii limitant hoc in casu, quo urgente necessitate, & cessante periculo mortis, Clericis artem Chirurgiæ, aut Medicinæ exerceat ex pietate & charitate erga miserabiles personas in defectu aliorum Medicorum, aut Chirurgorum; iteni si Medici aut Chirurgi presentes sint minus idonei aut experti haberi possunt, nec causâ pietatis licebit, arg. cit. c. Tua nos. de Homicid.

17 Queritur III. Quas penas incurrant Clerici aliquod ex recensitis exercentes Negotium sæculare? Resp. I. Si quis Minister Locum, aut Procurator rerum ipsius illicitè existat, non defenditur ab Ecclesiâ, casu quo in suo ministerio aut officio erroneus deprehendatur, c. 2. h. t. Si quis verò procuratorum villarum, aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus, aut sæcularibus viris assumere præsumat, sit ut Justitarius, ab Ecclesiastico ministerio sua alienus c. sed nec 4. h. t.

Resp. II. Clerici, si illicitè assumant Tabellionis officium (penam privationis Beneficii, quòd habent, incurrant, si moniti non desistant, c. Sicut te 8. h. t. ibi: Per beneficiorum subtractionem interdicas.

19 Resp. III. Religiosi professi, si extra Monasterium illicitè (juxta dicta 8. & 9.) Leges Civiles, vel Medicinam audiant, & ad claustrum intra duorum mensium spatium non redierint; sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla causa, si parochianum præbare voluerint, audiantur. Reversè autem in Choro, mensa, & ceteris, ultimi fratrum existant, & (nisi forte ex misericordia Sedis Apostolicæ) totus spem promotionis amittant, c. Non magnopere. 3. h. t. Et quidem penam Excommunicationis ipso facto incurrant, uti expresse statuit Honorius III. c. fin. eod. ubi etiam ad Archidiaconos, Diaconos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos Perlonatus habentes, nec non Presbyteros, Constitutionem cit. c. 3. h. t. extendit.

De penis Clericorum, qui negotiationes illicitas 22 exercent, vide Tit. 1. §. 5. num. 133.

21 Resp. IV. Clerici omnes, qui causam, aut iudicium sanguinis agitant, ferendo sententiam (ut dictum est suprà numer. 12.) aut etiam scribunt, dicant, vel consulunt, aut aliquod auxilium præstant, ut quis occidatur, aut mutiletur, vel etiam qui executioni mortis, aut mutilationis corporaliter, & autoritative præsentis sunt; ipso facto irregulares sunt, possuntque privari Officio, & Beneficio, c. Clericis. 5. h. t. & c. Sententiam. 9. eod. juncto c. Ex litteris. de Excessib. Prælat. ac ibi Doctores, ex quibus tamen Abbas in cit. c. 9. h. t. in 6. Hostiensis, & alii cum Glossa communiter recepta in c. 9. h. t. 7. Sanguinis. ad suum bene advertunt, quòd ad hoc, ut quis ob præsentiam corporalem fiat irregularis, debeat autoritative, & judicialiter interesse, & aliquo modo auxilium præstare; consequenter eum qui executioni sanguinis sine ulla cooperatione interest, & præ-

cisè spectatorem agit, non fieri irregularem, quamvis nihilominus illicite agat, & tanquam contra præceptum SS. Canonum aliàs puniri valeat; nisi specialiter assistens Reo, adesset.

22 Resp. V. Clericus, aut Religiosus illicite (juxta dicta num. 16.) Chirurgiam exerceens, si ex ea mors sequatur, est irregularis, etiam si sit peritus, & diligens, & hoc fecerit causâ pietatis, ita Summariùm, & textus c. *Tua nos. de Homicid.* Concordat a. *Sententiam. h. t.* Pariter irregularis est Clericus, aut Religiosus, qui artem Medicam exercet, aut Medicinam præbet aliis, casu quo perceptis Medicinis mors sequatur, e. *Ad aures. de Ætate & qualitat.* ubi nota cum

Abbate in c. 9. h. t. num. 23. Clericum, ac Religiosum incurrere irregularitatem, si post datam Medicinam, vel adhibitam Chirurgiam mors, aut mutilatio sequatur, et si ipse non fuerit in culpa; quia dedit operam rei illicite, ob quam imputatur etiam casus absque alia culpa agentis contingens, arg. cit. c. *Tua nos. de Homicid.* Quod si tamen aut mutilatio non sequatur, irregularis non est Clericus, aut Religiosus exerceens Chirurgiam, aut Medicinam: quamvis nihilominus peccet. Abbas, & alii, nisi in casu necessitatis, ac deficientibus aliis Medicis aut Chirurgis, pietatis causâ faciat juxta dicta num. 16.

Atque hæc in Tertium Librum Decretalium dicta sufficiant; cedantque ad Laudem & Gloriam Dei, cui soli Benedictio & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, Honor, Virtus, & fortitudo in sæcula sæculorum,

A M E N.



